



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 243. Hussitæ in Taboritas & Orphanos divisi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. CCXLIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1424.

*Huffitæ in Taboritas & Orphanos
separati.*

Mortuo Zifcha Huffitæ in duas scinde-
bantur factiones. Prima, Thabori-
tarum nomen sub Duce Procopio magno
assumpsit, altera vero Orphani appellari
voluit: hi, cum crederent, nullum inve-
niri posse successorem Zifcha dignum, sin-
gulis annis novos elegerunt Duces, quo-
rum summa esset potestas, exceptis iis,
in quibus cum hoste confligendum, die-
bus; in illis enim soli Procopio, cogno-
mine Parvo, parebant. Nihilominus hæ
duæ factiones, etsi inter se dissentirent,
ubi tamen Catholicorum vicinas Bohe-
miæ Provincias deprædandi occasio na-
ta erat, junctis viribus, iisdemque castris
pugnarunt, & singulis annis omnes hæc
regiones misere devastarunt. Hi quoque
pactum Cæsarem inter & Zischam ini-
tum haud diu observabant, temerarie
præsumentes, quod adversus quoscunque
demum hostes securi forent, eo quod hye-
mali tempore Thaborensis arcis muni-
mentis defensi subsistere, & in æstate pro-
libitu suo Germaniam, Hungariam, &
Poloniam depopulari possent. Devasta-
runt etiam superiorem, & inferiorem Au-
striam,

*Kranz. II.**Wandal. 9.*

Sæcul. XV. A.C. 1424. striam, vicerunt in acie Albertum Austria-
cum, Imperatoris Generum, dum eos apud urbem Schutlendam aggredi meditabatur, & præterea binis vicibus exercitum, quem Julianus Cardinalis comitabatur, profligarunt.

§. CCXLIV.

Angli Montargium obsident, & obsidionem solvunt.

*Joan. Char-
tier. Hist.
Car. VII.]* Nec segnius in Galliis bellum cum Anglis flagrabat. Hi, Warwici & Suffolciæ Comitibus agmen ducentibus, Montargium, quod Carolo VII. parebat, obsidione cingunt. Arturus Richemundii Comes, Galliæ Connestabilis contractis suis copiis, ad liberandam urbem accurrit, nec infelici successu; fusi enim fugatique Angli, tormenta ac impedimenta Victori cedere coacti sunt. Non multo post Retzius & Bomanorius Lusdum, urbem Andegaviæ ad ligerim ab Anglis possessam, recuperarunt. Sed minus prospera fuit Gallis Fortuna, dum Cenomanum occupare tentant; Talbotus enim Anglis, qui ad turrim, portæ S. Vincentii vicinam, convolabant, suppetias ferens, paulo ante Urbis Victores, jam victos expulit. Adduxerat quidem in auxilium Duglossius Comes quatuor millia Scotorum,